

Vorbemerkung:

Der folgende Text soll in angemessenes Deutsch übersetzt und durch die Bearbeitung der unter II. gestellten Aufgaben sprachlich erläutert werden.

I. Übersetzung

Invide, tu tandem voces compesce molestas  
 et sine nos cursu, quo sumus, ire pares!  
 Quid tibi vis, insane? Meos sentire furores?  
 Infelix, properas ultima nosse mala,  
 5 et miser ignotos vestigia ferre per ignes,  
 et bibere e tota toxica Thessalia.  
 Non est illa vagis similis collata puellis:  
 Molliter irasci non solet illa tibi.  
 Quodsi forte tuis non est contraria votis,  
 10 at tibi curarum milia quanta dabit!  
 Non tibi iam somnos, non illa relinquet ocellos:  
 Illa feros animis alligat una viros.  
 Ah, mea contemptus quotiens ad limina curres,  
 cum tibi singultu fortia verba cadent,  
 15 et tremulus maestis orietur fletibus horror,  
 et timor informem ducet in ore notam,  
 et quaecumque voles, fugient tibi verba querenti,  
 nec poteris, qui sis aut ubi, nosse miser!  
 Tum grave servitium nostrae cogere puellae  
 20 discere et exclusum quid sit abire domum;  
 nec iam pallorem totiens mirabere nostrum,  
 aut cur sim toto corpore nullus ego.  
 Nec tibi nobilitas poterit succurrere amanti:  
 nescit Amor priscis cedere imaginibus.  
 25 Quodsi parva tuae dederis vestigia culpae,  
 quam cito de tanto nomine rumor eris!  
 Non ego tum potero solacia ferre roganti,  
 cum mihi nulla mei sit medicina mali,  
 sed pariter miseri socio cogemur amore  
 30 alter in alterius mutua flere sinu.  
 Quare, quid possit mea Cynthia, desine, Galle,  
 quaerere: Non impune illa rogata venit.

II. Sprachliche Erläuterungen

1. In v.2 hat man für überliefertes quo sumus die Konjektur quaesumus vorgeschlagen.  
Diskutieren Sie die beiden Lesearten!
2. Welches Stilphänomen läßt sich in v.26 rumor eris ausmachen?
3. Wie ist v.30 mutua syntaktisch in den Satz einzuordnen?  
Nennen Sie Parallelen!